



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

II. Animas Sanctorum iam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio  
Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)



nem; nam Christi requies, resurrectio, & ascensio, exemplar fuit nostræ quietis, resurrectionis, & ascensionis; alioqui essent discipuli, & serui supra magistrum, & Dominum. Ad hæc, anima, & caro simul operantur, tam bona, quam mala, igitur simul & non vna sine alia puniri, aut remunerari debet. Denique Dæmones nondum puniuntur, sed puniendi reseruantur post diem iudicij; nam idcirco dicebant Christo: *Veni huc ante tempus torquere nos*, Matth. 8. *Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, & in abyssum irent*, Luc. 8. igitur idcirco de hominibus fiet: si autem impij non puniuntur, certè non impij remunerantur. Hæc igitur sunt argumenta, quæ aduerfus veritatem afferri solent. quæ quidem in sequentibus capitulis per partes diluentur.

## CAPVT II.

*Animas Sanctorum iam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiæ.*

**S**ED facile erit totidem argumentorum generibus veritatem propugnare. PRIMVM igitur accedit Ecclesiæ testimonium, quæ in oratione de S. Gregorio dicit: *Deus, qui anima famuli tui Gregorii æterna beatitudinis premia contulisti, &c.* Præter quam orationem habemus etiam duo Concilia Oecumenica, & duorum summorum Pontificum decreta. siquidem hoc ipsum definitum est in Concilio Florentino, sess. vlt. in decreto vniouis Latinorum cum Græcis. & in Concilio Tridentino, sess. 25. Idem quoque disertis verbis docet Innocentius III. cap. Apostolicam, extra de Presbytero non baptizato. Idem denique post longas disputationes Benedictus XII. definiuit in extravaganti, quæ incipit, Benedictus Deus; quam totam refert Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæreses, verbo, Beatitudo.

Atq; hinc soluitur primum argumentum aduersariorum; nam iste Benedictus XII. qui successor fuit immediatus Ioannis XXII. apertè testatur, Ioannem morte præuentum, non definiuisse istam quæstionem. Neq; verò solùm eam non definiuit, sed etiam paulò ante mortem partim retractauit sententiam suam, partim etiam declarauit; nam asseruit, PRIMO, se in



se in omnibus suis sermonibus de hac re nunquam intendisse rem definire, sed solum quærerere veritatem. **SECUNDO**, asseruit sibi displicere priorem sententiam, ac sentire se, animas Sanctorum videre Deum, etiam ante diem iudicij: nisi aliter Ecclesia, & sui successores definirent: quorum definitioni se submittere dicebat omnes suas opiniones. Habetur hæc retractatio ipsis verbis, quibus facta est, apud Ioannem Villanum lib. II. cap. 19. historię, de rebus Florentinorum, quam ille dicit se habuisse à fratre suo, qui in aula eiusdem Ioannis Papæ degebat.

Sed notanda sunt quinque mendacia Caluini, lib. 4. Instit. cap. 7. §. 28. **PRIMUM** est, Gersonem vixisse tempore huius Ioannis; nam Ioannes obiit anno M. C C C. X X X I V. vt testantur omnes historici, & nominatim Onuphrius, & ille Ioannes Villanus lib. II. cap. 19. Gerson autem natus est anno M. C C C. L X I I I. vt ex Trithemio patet de scriptoribus Ecclesiasticis.

**SECUNDUM** est, Ioannem Papam negauisse animæ immortalitatem. at si hoc esset verum, multò magis eam negasset Calvinus, qui pertinaciter defendit, animas non videre Deum. nec enim Ioannes Papa vllius erroris accusatur à Gersono, & aliis, præterquam istius de visione Dei.

**TERTIUM** est, nullum Cardinalium se opposuisse Ioanni Papæ. nam Ioannes Villanus lib. 10. cap. vlt. hist. scribit, maiorem partem Cardinalium repugnasse Ioanni, & idem colligitur ex decretali Benedicti X I I.

**QUARTUM** est, Regem Gallię Philippum interdixisse suis communionem Ioannis Papæ, nisi respisceret. At Ioannes ille Villanus loco citato scribit, Regem solum scripsisse ad Pontificem amicè, & reuerenter, eumque monuisse, vt caueret ab illis opinionibus, quæ videntur suspicionem erroris in generare posse.

**QUINTUM** est, Pontificem coactum à Rege ad palinodiam. At Ioannes prædictus scribit, Ioannem Pontificem solum retractasse opinionem suam pridie ante mortem suas affinium, qui metuebant, ne, si Ecclesia postea contrarium definiret, vt etiam fecit, memoriæ Ioannis Papæ aliqua nota suspicionis erroris inureretur. Vide quæ scripsimus de hac re lib. 4. de Pontifice, cap. 14.